



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Consecra operibus misericordiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

generanda; augmentanda, vel conservanda, institutum est; totum conatur avertere in opprobrium divinæ dilectionis, & in detrimentum nostræ salutis. Staturat namque DEUS sacra, solennitates, & dies festos; ut cessaremus à vitiis, vacaremus ab operibus mundanis, & insisteremus divinis: jamque corda nostra prægustando suavitates, & præludia æternorum, delicata Sabbatha celebrarent. Sed insidiante humani generis inimico, quod statutum fuerat ad DEI gloriam, & nostram saluationem; jam utique conversum est ad DEI ignominiam, & nostram damnationem. S. Bernardinus t. 2. f. 10.

Sacris temporibus, atque celebribus, quis dubitet copiosiora solere infundi gratiæ divinæ fluentia super magnum hospitale, & carcerem purgandorum mortuorum. Tunc enim *in die bona* 1. Reg. 25. 8. venimus ad DEUM; tunc fiducia ad aliquem Sanctorum dicimus: prospera diem triumphalem tuum. Tunc copiosiores charismatum reliquiæ, velut à mensa splendidissima beatorum convivarum decidunt, largiendæ pauperibus, & mendicis petentibus, quærentibus, & pulsantibus. Gerſon de myst. Theol. pract. Confid. 9.

Date quartam partem horæ Verbo DEI, & honori Sanctorum, & saluti vestræ; qui non unam horam, non duas; sed dies integros, sed hebdomadas, fabulis sæpe datis. Id. serm. de OO. SS.

Felix festivitas, quando & mentis iucunditas sentitur, & spiritualibus epulis anima à te invitata largè reficitur. Non enim festum mihi est, si in corde non est. At verò idcirco sæpe exteriùs recolitur; ut gratius, & iucundius, intus celebretur. Nam exteriora festa interiorum sunt incitamenta festorum; & æternorum quædam præſagia gaudiorum. Thomas Kemp, Conc. 4.

§. II.

Festa consecra operibus misericordiæ.

Ineravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagoga. Luc. 4. 16. Dominus non venerat, ut prodesset uni; sed ut prodesset multitudini: idè in Sabbatho confueverat intrare in Synagoga, & prædicare; quia tunc omnes ibi conveniebant. Hugo Card. hic.

Erat festus dies, & ascendit IESUS Ierosolimam: erat autem Ierosolyma Probasica piscina. Jo. 5. 1. 2. Ascendit Christus Ierosolimam ad celebrationem festi: & postquam æterno Patri debitum honorem in templo exhibuit, ivit ad visendos infirmos; & ad consolandos eos, qui in circuitu piscinæ, in porticibus commorabantur. Diez f. 6. D. 1. Quadr.

Dum Sanctorum memorias celebratis, reminiscamini quoque imbecillorum, & egentium

viduarum, orphanorum, peregrinorum, pauperum, mutilatorum, claudorum, atque cæcorum. S. Ephrem de fest. dieb.

Non ibis ad rabeniam, & luctationes, aut choreas, vel ad alios ludos vanos: nam de talibus sæpe eveniunt infortunia, & peccata mortalia: sed debes miseros, & languidos, visitare; & ita dies festales in DEI servicio finire. S. Edmundus Cant. Ep. Speculo Eccl. c. 11.

Inter præcipua facta, quibus sanctificari dies festos contingit, opera sunt misericordiæ: quæ Dominus ipse facere docuit, qui potissimum in Sabbatho curabat paralyticos; lumen cæcis, usum membrorum aridis restituebat, & variis morbis oppressos sanabat: qui etiam testabatur, se misericordiam malle, quam sacrificium. Ildorus Clarius l. 1. or. 31.

§. III.

Contra labores in festis vetitos.

Quod si dixeritis &c. Levit. 25. 20. Audiant hoc Christiani, dicantque sua luca non querere, violando festa per labores, venditiones &c. Si enim DEUS promittit hic servantibus quietem totò annò Sabbathicò, annonam in tres annos; multò magis Christianis servantibus quietem paucorum festorum providebit de victu, & lucris. Cornelius hic.

Plus proficiunt bona vestra ex bona observatione festi, quam ex vestris laboribus. S. Vinc. Ferr. serm. in ascens. D.

Servando Dominicam magis proficiunt bona tua, campus, vinea, grex, oliveta; quam ex tuo labore totius anni. Id. f. 3. D. 5. Trinit.

Cùm quidam festò die aucupatum potius, quam missam audire, voluisset, ac perdesces captas coquere: illa statim redvivæ eò obcoctatæ evolârunt; qui tamen facti penitens, & ad aram S. Defendentis M. orans visum recepit. Bolland. 2. Jan.

Rusticus atreptâ securi violare volebat diem Resurrectionis D.; illicò manus arefcit, securis adhærens recluditur, intolerabiles patitur cruciatu. Quem S. Sulpitius Pius Ep. fusâ oratione, & lacrimis, per totam noctem, sanat. Bolland. 17. Jan.

Cùm quòdam tempore in Frisia S. Ansharius Archi-Ep. Hamburg. concionaretur, diem festum opere servili non profanandum; quidam contumaces domum reversi, quia serenus erat aer, collectò feno acervos fecerunt. Vespere omnes illi acervi divinitus igne consumpti sunt; illas, qui ferialibus diebus congesti. Bolland. 3. Febr.

Quidam die festo colligens herbas, divinitus punitus, herbis manibus ejus adhærentibus. Bolland. 30. Martij.

